

CVIII.

*1773.6.1.
11*

PROCANCELLARIUS
D. FRIDERICVS GOTTLIEB ZOLLER
S V M M O S
IN VTROQVE IVRE HONORES
VIRO PRAESTANTISSIMO
FRIDERICO HENRICO MAXIMILIANO
K E R S T E N
DRESDENSI
A. D. X V. A P R. M D C C L X X I I I
CONFERENDOS INDICIT.

Insunt quaedam obseruationes singulares.

2000

CHI RICORDO
DEI DIAVOLI
SOTTO IL VENTO
D'ESTATE
CON LA CINTURA
DI SILENZIO
E CON LA CINTURA
DI VIVERE
CON LA CINTURA
DI VIVERE
CON LA CINTURA
DI VIVERE



OBSERVATIO I.

*Emtor, qui venditori praestationem euictionis
per pactum remisit, frustra restitutionem
pretii evicta re desiderat.*



Ad naturam emtionis venditionis equidem pertinet, vt venditor rem, quam distraxit, emtori liberam praelet, quam ob causam, si tertius conueniat emtorem et rem meliori iure probato vindicer, ad restitutionem pretii pariter, quam resarcendum damnum, venditorem tenet actio, quod vocamus euictionis praestationem. Ast cum naturalia vniuersaliumque contractus per pactum mutare et ab eo, quod inest naturae negotii, et regulariter praeclumimus, re-

IV

cedere possint partes; quod et hoc circa euictionem valeat non dubito. Dissentientes hac tamen in parte inueni CARPZO^V.
*P. II. Conſt. XXXIV. def. 22. Lib. V. Rep. XLIII. STRYKIVM
 in uſ. mod. L. XXI. Tit. II. ſ. 48.* et alios, quorum argumenta, ut penitus exponam necesse esse duco. Probationem ipsis suppeditant verba *ICTi l. II. ſ. 18. π. de action. emt.* Ibi- dem ait, *idem eſſe dicendum et ſi aperte in venditione comprehendatur, nihil euictionis nomine peafatum iri pretium quidem deberi re euicta, utilitatem non deberi.* Quapropter etiam in foro venditorem in causa euictionis, nullo respectu habito ad hoc pactum a testimonio dicendo penitus excludimus cfr. *ILLUSTR. HOMMEL. Rhapsod. CCXI.* Confirmat sententiam *VLPIANVS* additratione, bonaे fidei contractum minime hanc pati conuentio- nem, ut error rem amittat et pretium retineat venditor. Sed dubito utrum haec dispositio sit generalis, et effectum pacti conuenti tollat, potius de diuerso caſu differere legem adfirmo. Verba initialia §. 18. qui autem habere licere vendidit, moue- bant ambiguitatem. ut igitur quid praefter venditor, et ab eo peti possit, dubio non sit expositum, *VLPIANVS* interpretationem addit. Distinguit nempe an hoc policeatur venditor, per ſe venientesque a ſe personas, non fieri quominus habere liceat, an vero omnes. Si per ſe, negat id praefare, ne aliis euincat, hinc euicta re venditorem ab omni actione, ſine proueniat ex stipulatu ſine ex emto immunitem pronunciat. Huius rei rationem inuenies *l. 38. π. de Verb. oblig.* quia nemo alienum factum promittendo obligatur. Sententiam *VLPIANI* postea quodammodo limitat *IVLIANVS* et demonstrat clauſula per ſe heredemque ſuum non fieri, quo minus habere li- ceat, id tantum inuolueret, ut actio ad id quod interest, cefset, venditorem tamen ad pretium refituendum eſſe obli- gatum. Extendit *ICTUS* hanc dispositionem etiam ad caſum, *Si verbis licere habere, clauſula supradicta non addita, sed ge-*
nera-

neraliter dictum, nihil euictionis nomine praestatumiri: Rationem decidendi praebent verba habere licere, quae secundum 1.38. π. de Verb. Oblig. hoc continent, ut liceat habere i. e. vt emtor iustum titulum adquirendi dominium rei habeat. Ematio itaque, cui haec verba adposuit venditor sub conditione nisi tertius meliori iure probato rem euincat, celebrata videatur: quod si itaque casus euictionis accedit, ob praecedentem conditionem ematio est nulla. Deficiente venditione, non existit pretium, hinc cum venditor non habeat iustum causam retinendi, hoc restituere debet, et hoc spectant verba V L P I A N I; bonae fidei contraictum non pati hanc conuentionem, ut emtor rem amittat, et venditor pretium retineat. Sed alius est casus, si emtor venditione pure celebrata, se declareret, quod, etiam si euictionem passurus sit, eius nomine a venditore nihil exigere velit. Nec V L P I A N V M de hoc cogitare potuisse ex sequentibus apparebit. Scimus nempe praestationem euictionis ad naturalia emtionis pertinere, ab illis ut per pactum recedere liceat contrahentibus, est expediti iuris. Effectus praestationis euictionis est duplex, alter consistit in restitutione pretii, alter in praestatione eius quod interest. Emotor, qui scit utrumque sibi competere, et tamen obligationem remittit, in vniuersum iuri suo renunciat. Cum vero pacta ita sint interpretanda, ut naturae negotii et menti contrahentium conueniant, nulla sane datur ratio, cur praesentem conuentionem circa intentionem emitoris tantum ad praestationem eius quod interest, restringere velimus; potissimum cum nulla turpitudo nec iniquitas pacto insit; accedit insuper, quod creditor, qui sciens debitum remisit, hoc donandi animo fecisse censendus sit, a qua liberalitate, cum alter iure quae sito nitatur, sponte recedere non potest.

OBSERVATIO II.

*Emitor rescissa emtione ex lege Commissoria,
partem pretii, quam soluit, non amittit.*

Bene scio, effectum legis commissoriae hunc esse, vt, si emitor intra determinatum temporis spatium integrum pretium non soluat, res habeatur pro inemta, assertum vero, quod nempe emitor existente casu partem pretii quam soluit venditori, amittat, penitus nego, huius causae decisionem ipsa natura pacti mihi suppeditat. Omnes in eo mecum conueniunt, legem commissoriam inuoluere conditionem resoluti-
 uam, qua mediante emtio venditio rescinditur ex tunc, id est ab initio pro non facta haberur. Innuunt hoc etiam verba
 POMPONII in l. 2. π. ad Leg. Comm. ut fundus inemtuſ fit, qui-
 bus indicat Ictus emtionem fundi habere pro nulla. Quo-
 niescunque deficit emtio venditio, toties nullum existit pre-
 tium, quippe quod ad essentialia huius contractus pertinet.
 Cum itaque in casu, quando lex commissoria effectum pro-
 ducit, omnia in pristinum reducantur statum, et singamus,
 nullam vñquam partes celebrasse venditionem, fictio vero in ca-
 fibus fictis idem operetur, ac veritas in casibus veris, vendi-
 tor qui pretium ab initio determinatum ex iusta causa retinere
 nequit, ad eius restitutionem, vt pactum habeat effectum,
 merito tenetur. Nec obstat, quod ex opinione DD. emitor
 lucretur fructus interea perceptos, quos rescissa venditione
 venditor iure exigebat, cum argumentum l. 4. §. 1. π. ad leg.
 Comm. nullum ipsis praefert praesidium. In hac enim lege
 NERATIVS non generalem profert regulam, sed tantum ex-
 ceptionem, quod vocabulum *interdum* quo vitur, satis pro-
 bat. Admittit nempe NERATIVS, cui debemus legem, com-
 pensationem intuitu pretii, quod dedit emitor. Cum vero
 compen-

compensatio mutui debiti et crediti inter se efficiat contributio-
nem , amittit emtor partem solutam, si fructus, quos percepit,
pretio sint aequales , Si vero pretium quantitatatem fructuum
excedat, non existente compensatione partem solutam iure re-
petit emtor, prouocat enim ad pactum , in quo non de amis-
sione pretii, sed tantum de nullitate negotii conuenerunt partes,
ultra cogitata autem nunquam extendere licet conuentionem.

OBSERVATIO III.

*Indulgendum est vxori, quae existente con-
cursu illationem dotis ex confessione mariti
probat.*

Inualuit ex auctoritate C A R P Z O V I I P. I. Conf. El.
XXVIII. Def. 71. et 72. in foro, nescio quo fato opinio, quod
vxorem existente concursu creditorum ad probandam dotis il-
lationem ex confessione mariti, si alia adminicula deficiant, non
admittamus. Tristissima satis est conditio foeminarum, quae
excluso hoc probandi medio et aliis deficientibus modis, amitt-
unt fortem bona fide illatam et sine culpa in paupertatem de-
truduntur. Miror sane, cur fauorem, quem alias doti im-
pertimur, hac in causa denegemus, et regulam l. 2. π. de iure
dotum: reipublicae interest, mulieres dotes salvas habere, per quas
mubere possunt, non obseruemus. Parentes in causa liberorum
a testimonio dicendo excludimus, nihilominus tamen, si quae-
ficio dotis obuenit, eos admittimus, cur quaequo ad mariti
confessionem non respicimus, non enim personam testis sed
debtoris repraesentat, quem ex scriptura, si eadem diffiteri
nequeat, condemnamus. Rationem decidendi C A R P Z O V I V S
duplicem profert, alteram ipsi praebet l. 12. C. qui pot. in pign.
quae veram dotis dationem desiderat, et Conf. El. verbis:

Soll

VIII

*Soll des Schuldners Eheweib mit ihrem Eingebrachten, so viel sie def-
sen erweisen kann etc. alteram in eo collocatam esse censet, quod
confessio de dote recepta constante matrimonio a marito facta,
suscipione haud exigua laboret, quae creditoribus nocere, eo-
rumque iura infringere non possit. Sed quicquid dixit c A R P-
ZOVIVS ad colorandam opinionem, nondum tamen causam
absolutit. Lex etenim 12. qui pot. in pign. ac Constitutio
Elect. 28. iuber quidem, vt foemina, quando priorem locum
occupare velit, illationem dotis probet, neutiquam vero con-
fessionem mariti a mediis probandi excludit. Alterum argu-
mentum quod a suspicione dependet, ferme nihil efficit. Qui-
libet enim praesumitur bonus, donec probatio in contrarium
extet. Et quamuis respectu mariti, qui bonis cessit, praesumtio in sinistram partem valeat, hoc tamen vxori innocentia
non praeiudicat, nec nexus familiarem adeo extendere licet,
vt factum mariti uxori imputemus. Potius si de dolo excipit
curator litis, ei incumbit, vt probationem suscipiat, cum ea,
quae praesumptionem elidunt et in facto consistunt, probatio-
nem desiderent. Quibus praesuppositis aequiorem censerem
sententiam, quae foeminam, cui assistit confessio mariti, ad
suppletorium admittit. Hac enim ratione non solum satisfacit
legi, et illationem probat, sed etiam suspicionem, quae con-
tra illam forsan mouetur, satis declinat.*

OBSERVATIO IV.

*Sola scientia debitorem non fuisse soluendo, ad
instituendam actionem Paulianam contra
possessorem non sufficit.*

Res, quas debitor existente vel imminente concursu in
fraudem creditorum alienauit, actione Pauliana a possessore
vindi-

vindicare licet, hac tamen obseruata distinctione, vt is qui lucratu*o* titulo rem alienatam possidet, simpliciter, is ex aduerso, qui titulo oneroso eandem habet, in tantum teneatur, in quantum fraudis fuerit particeps. Ait enim Praetor *l. i. π.* quae in fraud. cred: Quae fraudationis causa gesta erunt, cum eo qui fraudem non ignorauerit, de his curatori bonorum, vel ei, cui de ea re actionem dare oportebit, intra annum, quo experiundi potestas fuerit, actionem dabo. Si quis igitur cum debitore, de quo scit eum habere credito*r*es, et non soluere posse, contrahit, utrum hac actione teneatur, videamus. Negatiu*m* sententiam menti legis conuenientem esse censeo. Praetor enim, qui creditoribus, ne laesionem sentiant, actionem tribuit, ad id potissimum respexit, vt is, contra quem vindicationem instaurant credito*r*es, fraudis particeps fuerit, et intentionem credito*r*es defraudandi haberet, quod ex verbis: *cum eo, qui fraudem non ignorauit*, satis appetat. Sola vero scientia debitorem habere credito*r*es, hoc non efficit, cum praefumtio bona*e*f*idei* reo succurrat, et dolus siue fraus probatione indigeat. Confirmat hanc sententiam **V L P I A N V S**, cum enim *l. 10. pr.* recenseret edictum Praetoris, et verba te *sciente* causam redde*n*ent dubiam *ſ. 2.* interpretationem horum verborum addit, et demonstrat, praetorem hoc ita accepisse, te conscientia et fraudem participante, non enim inquit, si simpliciter scio eum credito*r*es habere, hoc sufficit ad contendendum in teneri eum factum actione, sed si particeps fraudis est.

Sed cum ea, quae dixi, hoc tantum animo protulerim, vt solemnia, quibus

V I R

PRAENOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS
FRIDERICVS HENRICVS MAXIMILIANVS
KERSTEN,

more maiorum Doctor creabitur, ad illum me conuerto, et prae-
primis vitae curriculum uti ipse conscripsit, palam facio.

B

Ego

Ego Fridericus Henricus Maximilianus Kersten Dresdam vrbem Saxoniae nostrae primariam natalitiam agnoscō. In viuis hic esse coepi anno huius seculi quadrageſimo nono, patre mihi aeternum venerando genitus Carolo Andrea, Sereniss. Elect. Sax. ab expeditiōnibus bellicis, matre Friderica Benedicta ex gente Welleria, quam morte, iam ante triennium mihi eruptam pietate adhuc lugere; cuius utriusque Parentis optimi ſtudium in me collatum, pia mente, omni tempore venerabor. Postquam mature in paterna domo religionis et literarum elementa didicim, undecim annorum puer a patre missus sum in prouincialē ſcholam Misenerem, ubi non ſolum Hefſii, b. Weissii, b. Hoerii, Clemanni, Schregeri et Klimmii ſolerti institutione, ſed etiam Ill. Godofredi Wolfgangii Ferberi, iam Consiliarii aulici et a Secretioribus Referendarii munificientia, quād admodum laudo, integro uſu ſum ſexennio. Inde in hanc urbem phyleream, bonarum artium domicilium ſedemque celeberrimam me contuli anno R. S. H. MDCCCLXVII. Rectore Magnifico b. Wincklero, cuius mox philosophicis et physicis experimentis faciendis praelectionibus interfui. Adhui etiam Viro, immortaliſ memoriae, Gellerto, nec non Celeberrimo Seydlizio, ſtyli germanici et ethycaꝝ cauſa, cuius utriusque in his docendis litteris dexteritati multa debo. Tradentem hiſtoriam philosophical et Sallustium, magna cum voluptate Clodium, Ciceronem et Archaeologiam explanantem S. R. Ernesti, Borzium h.t. Rectorem Magnificum mathemata praegentem audiui, quibus per multum me debere libenter profiteor. Sed cum iuris legumque diſcipinae cognoscendae meum maxime ſtudium dicare ſtatuiſsem, ad eorum, quos in hoc genere celebrari intelligerem, ſcholas accedendum putau; et iuris naturae, civilis, germanici, canonici, criminalis, et feodalis campos atque in iudicialibus ſive proceſſualibus et relatoriis ſecutus ſum IConfūtoſ Praeſentiffimos S. R. et Ill. Hommelium, Zollerum, Segerum, Francium, Tob. Richterum, Sammetium, Schottium, Creuzigerum; quorum omnium erga me benevolentiam et merita gratiflma mente agnoscō. In iure publico, atque in I. R. Germanici, Statuum Europae Ill. Boehmii operam, pro ſuo in me animo abun-

abundanter praestitam, praedico. Subinde comes electus generosissime Dieterici Metzchii studiorum, in huius societate Ioanne Augusto Clemanno, iam Sereniss. Elect. Sax. in Collegio appellationum Assesse, Viro multis fariam de me Meritissimo, cuius insignem, qua me dignatus est benivolentiam, per dies vitae studiofissime celebraturum, sancte spondeo, Illi, inquam, Pandectas interpretanti, tentaminibus repetenti, et disputanti ad sedi. Eodem Praeside d. 5. Febr. 1770. super libello de Mutuis petitionibus, colloquium cum eruditis institui, non multo post ab Ill. ordine Iuridico, Iurium Baccalaureis et Notariis publicis accusus sum. Iam foro operam daturus, conciliare mihi primariorum in Lipsiensi praefectura Virorum, Consultissimi Blümneri et Creuzigeri benevolentiam obtigit, quorum consuetudine atque institutione quantum prosectorum, me pro dignitate eloqui non posse. Hoc quidem tempore ad alia iuratus in illa ipsa praefectura, sponte labores quosdam habui. Tando praeterea Henrici Caroli Reinhardi patrocinium, multaque quae gratissimo animo agnosco, beneficia. Iam anno 1770. in Aduocatorum numerum relatus, Dresden redii. Aque hic patronum inueni primarium Ill. S. R. I. Lib. Bar. de Gutschmid, cuius tanta in me esse, tamque insignia beneficia, ut quae primum, quaeque deinceps commemorem, nesciam, quare alia ratione quam istorum beneficiorum perennem memoriam pollicendo, gratae menti declarandae non par sum. Initio anni 1771. comes studiorum datus Illusterrimo Sigismundo S. R. I. Comiti a Cossell, indolis ornatissimae adolescenti, cuius mihi bene volendi pronitatem gratulor, et quem semper beate vieturum sciendi cura teneor sollicita — cum Ipso anno 1771. Lipsiam redii, ex quo tempore Illust. Telleri, Patroni mei optimi, eximium favorem et humanitatem non possum non gratissimo venerari pectori, atque pro diuturna Ipsius et familiae splendidae salute religiosissima nuncupare vota. Eodem adhuc anno a Facultate Philosophica, praecedentibus exaniinibus LL. AA. Magister eualus publicis declaratus sum.

Accessit ultimo loco Collegium nostrum, et ut ipsum ad examen, quod illi, qui Doctoris dignitatem optant, subire debent,

bent, et rigorosum vocamus, admitteremus, decenter petuit. In
 hoc vero scrutinio ingenii praestantiam pariter, quam juris
 scientiam Ordini nostro ita comprobauit, ut vnanimi omnium
 suffragio, iuribus Doctorum, quae sunt praemia virtutis, di-
 gnus iudicaretur. Explanabit proximo die XIIII April. con-
 suetis pro Licentia lectionibus Constitutionem Imperatoriam
*I. II. C. Qui potior. in pign. futuro autem die Dissertationem in-
 auguralem, ad Leg. vn. Cod. Quando Imper. int. pup. quam ipse
 conscripsit, me Praefide defendet.* Quo praesito Vir Illustris
 atque Magnificus IOANNES THEOPHILVS SEGERVS, Iu-
 ris vtriusque Doctor, Curiae Supremae Prouincialis et Faculta-
 tis Iuridicae Assessor, Institutionum Professor ordinarius, me-
 ritissimus, collega amantissimus, cui clementissime Procancella-
 riis constitutus vices Promotoris delegauit, summos in utroque
 Iure honores pariter ac priuilegia illis cohaerentia, sola excepta
 sessione in nostro collegio, more rituque maiorum ipsi legitime
 tribuet. Quem actum, ut RECTOR ACADEMIAE MAGNI-
 FICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES VTRIVSQUE REI
 PUBLICAE PROCERES praesentia splendidiorem reddere,
 Generosissimi vero et Praestantissimi Comilitones frequentia con-
 celebrare velint, ea qua decet, obseruantia atque humanitate
 rogo. Dabam Lipsiae d. XI. April. MDCCLXXIII.





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

1773.61.11
PROCANCELLARIUS
D. FRIDERICVS GOTTLIEB ZOLLER
S V M M O S
IN V T R O Q V E I V R E H O N O R E S
V I R O P R A E S T A N T I S S I M O
F R I D E R I C O H E N R I C O M A X I M I L I A N O
K E R S T E N
D R E S D E N S I
A. D. X V. A P R. M D C C L X X I I I
C O N F E R E N D O S I N D I C I T.

In sunt quaedam obseruationes singulares.

